

Theotonicis, & etiam D. Thomasm de Cuca-
nea, D. Henricum de Budrio, & D. Constanti-
num de Utino in loco, qui dicitur Pradatinis,
prope villam Paderni supra Utinum. (a)

De representatione ludi Christi.

Anno Domini M. CC. XCVIII. die VII. ex-
eunte Majo, videlicet in die Pentecostes, & in
aliis sequentibus duobus diebus, facta fuit repræ-
sentatio ludi Christi; videlicet passionis, resurre-
ctionis, ascensionis, adventus Spiritus Sancti, &
adventus Christi ad Judicium, in Curia Domini
Patriarchæ Austriæ Civitatis, honorifice & lauda-
biliter per Clerum Civitatisensem.

De captione Castrum Tulmini.

Anno Domini M. CC. XCIX. die X. exeunte
Januario, captum fuit Castrum Tulmini per gen-
tem Domini Comitis Goriciæ in aurora diei.

De morte Raymundi Patriarchæ.

Anno Domini M. CC. XCIX. die sexta exeun-
te Februario, in Castro Utini Raymundus Pa-
triarcha Aquilegiensis obiit in Domino, qui vi-
xit in Patriarchatu XXV. annis, uno mense, &
XVII. & diebus. Qui quidem deportatus fuit A-
quilegiam, & sepultus in Capella per ipsum fa-
cta versus occidentem (b) in Ecclesia Majori A-
quilegiensi.

De electione D. Conradi Ducis Poloniae in Patriarcham.

Item eodem anno, die V. intrante Martio, ele-
ctus fuit in Patriarcham Aquilegiensem D. Conra-
dus Dux Poloniae unanimiter, communiter, &
concorditer per Capitulum Aquilegiense. (c)

*De D. Henrico Comite Goriciæ electo in Capitaneum,
& de verra sua.*

Item eodem anno, XIII. die exeunte Martio,
in Prato Campi-formii receptus fuit D. Henricus
Comes Goriciæ in Capitaneum Forojulii. Qui Do-
minus Comes in mense Julii eodem anno congre-
gavit exercitum copiosum; in cujus auxilio vene-
runt D. Girardus de Camino cum magna gente,
& Dominus Comes de Oyng cum magna gente,
& etiam quasi omnes Castellani qui venerunt cum
omnibus suis in villa de Basalgella, quæ est pro-
pe Utinum, credentes posse habere Utinum. Et
cum ibi stetissent per aliquot dies, & aqua fuisset
eis accepta, recesserunt inde, & iverunt Ru-
zolum apud Savorgnanum. Et omnia ista fecerunt
ideo, quia Communitates eundem Dominum Co-
mitem non sinebant, Civitates intrare.

Finaliter facta fuit compositio & pax in Vigi-
lia Assumptionis per Communitates, & per D.
Johannem Philippi, qui erat Vicarius D. Petri
Patriarchæ, (Qui Patriarcha nondum venerat;) quod
deberent dare eidem Comiti certam pecu-
niæ quantitatem, & ipse deberet desistere ab in-
ceptis. Qui Dominus Comes, & sui cum omni-
bus faventibus sibi, inde recesserunt. Sed ante-
quam hæc essent pacificata, damnum fecerunt non
parvum, deprædando, capiendos homines, & et-
iam mulieres vetulas, & parvos pueros spoliando;
& quod est absonum dicere, omnes Eccle-
sias rumpentes, quidquid ibi inveniebant inhumane
deportantes.

(a) In margine hæc habentur: Constantinus Savorgnanus
cum Carsmano Fratre recuperavit Patriarchæ Castrum Buja
um aqua Lodræ. Fuit creatus Miles super Prato d'Atti-

Item anno Domini M. CC. XCIX. die VIII.
intrante Aprili, in Aquilegia, D. Gylo Archidia-
conus Aquilegiensis factus fuit & receptus Vice-
dominus per Capitulum Aquilegiense, & per D.
Henricum Comitem Goriciæ Capitaneum, & per
omnes Forojulieneses; hoc pacto & conditione,
quod ipse Vicedominus non debet dare alicui Ca-
stellano aliquod Castrum domus Aquilegiensis in
(d) Verra, nec aliquam Castaldiam.

De D. Petro Patriarcha.

Item eodem anno venit Ven. D. Petrus Patriar-
cha in Forojulii circa Festum S. Michaelis. In
Civitatem vero venit in Festo B. Luca Evangelisti-
æ, confirmatus & consecratus per Papam Boni-
facium (e) Quartum, anno prædicto in Festo Na-
tivitatis S. Johannis Baptiste.

*De ampliatione fori Civitatisensis per emptionem
trium domorum.*

Anno Domini M. CC. XCIX. in mense Maii,
Communitas Civitatisensis emit tres domos, quæ e-
rant prope forum, & domum Martini Longi ex
altera parte, pro ampliando forum, quia erat par-
vum nimis & arctum: & ipsas domos diruerunt
eodem anno in Mense prædicto Maji.

De fulgure.

Item eodem anno in Festo S. Johannis Baptiste
in aurora diei, fulgur in turri Majoris Ecclesiæ Ci-
vitatensis, & projecit ad terram Crucem cum gal-
lo, & cum lapidibus tenentibus ipsam Crucem,
qui ruperunt tectum Ecclesiæ S. Johannis vehe-
menter. Et tunc in istu oculi ipsum fulgur intra-
vit Ecclesiam, & interfecit Jacobum Subdiaconum,
filium Pissi, de ultra pontem, qui erat Monachus,
ante Altare S. Paulini in Choro. Et de stellis,
quæ sunt super Altare majus, projecit ad terram
ultra XII. & manutera quæ sunt circa Altare. Et
descendit in Sacristia, & rupit aliquantulum de mu-
ro Sacristiæ, ubi servatur vinum, & cera: & de
scalis, unde illuc descenditur. Et etiam fuit in
Capella S. Laurentii, ubi similiter rupit de muro
super Altare, & fenestram vitream quæ est post
ipsum Altare, & de Cruce Majori, ac etiam de
choro versus Curiam Patriarchæ. Et sciendum est,
quod plures de Dominis occidisset: sed in Choro
non erant, quia in sero dixerant Matutinas.

*De verra inter D. Petrum Patriarcham, & D. Gi-
rardum de Camino.*

Anno Domini M. CCC. in Mense Junii, D. Ni-
cola, nepos D. Petri Patriarchæ, dedit D. Girar-
do de Camino locum Sacili, & incontinenti recessit
idem D. Nicola ad Terram suam. Et D. Gi-
rardus tenuit ipsum locum; eoquod dicebat, D.
Petrum Patriarcham velle dare eundem locum D.
Girardo de Castellis, inimico D. Girardi de Ca-
mino mortali. Propter quod orta est verra inter
Dominum Patriarcham, favendo eidem Communi-
tatibus & paucis Castellanis ex parte una; & D.
Girardum de Camino, & Comitem Goriciæ, quasi
cum omnibus Castellanis ex altera. In tantum quod
destruxerunt totam Terram Forojulii, & villas
combusserunt. Et in Vigilia Assumptionis S. Ma-
riæ, positis insidiis nostræ parti per eundem D.
Girardum ultra fluvium Luenzæ, nostri subcubue-
runt: & mortui fuerunt ibidem quamplures, &
capti;

mis. (b) In margine, Meridiem. (c) Superiora verba li-
neolis notantur in Codice. (d) varda. (e) octavum.